

104 *Th. Bartholini*

bet *Snorro Sturleson* in Chronico Norwegiæ, ut *Olai Harald*, Regis Norwagici vitæ insidiaretur, dubio procul memoriæ causa. Abscondidisse verò in cubiti parte superiore sub manica. Quod quum ad *Olaum* per amicum fuisset delatum, ipse arrepto, quasi nescius, brachio, & ad superiora manum pertentando deduxit, tumidumque, ut dictum fuerat, eo loci deprehendit. Quod nudato brachio, quia tumorem causabatur, magis apparuit. Unde debitas *armillæ* perfido animo acceptæ insidiator pœnas Regi dedit. Tandem, ne longius abeam, superstitionis medicinæ inserviebant *armillæ*. Augent nummos in arca. Apud *Saxonem Gevarus* Lib. III: *Mimingo* (sylvarum satyro) *armillam* esse miram quadam arcanaque virtute, possessoris opes augere solitam. Dolores

Armilla  
opes pos-  
sessoris  
augebat.